



E

D

PH  
E

JO





1909.2133

XXII

*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO MEDICO PHYSICA

QVA

# BALSAMVM DE MECCA

*PRAESIDE*

## D. MART. GOTTHELFF LOESCHERO

PHYS. PROF. PVBL. ORD. MED. EXTRAORD.  
EIVSDEMQUE FACVLTAT. ASSESS. NEC NON  
SEREN. DVC. SAXO - VINAR.  
PHYS. PROV.

*P. P.*

*AVCTOR*

## JOHANNES GODOFR. NICOLAI VIT. SAXO. MED. CVLT.

AD DIEM XXI. SEPTEMBRIS. A. C. M DCC XXVI.  
IN AVDITORIO MAIORI.

---

*VITEMBERGAE*

PRELO GAEBERDTIANO.





5

D. D. N. ...  
DISSECTATIO MEDICO-PHYSICA

1714

BALSA MVM  
DR. MECCA

D. MART. ...  
LOESCH



05 H 525

JOHANNES ...  
PREF. GATTI...







DISSERTATIO MEDICO PHYSICA  
DE  
BALSAMO DE MECCA.

---

I.



Artis Salutaris praesentem statum dum diligenti meditatione mecum reputo, deprehendo, quod inter alia multa obstacula, quae hactenus obicem posuerunt, quo minus finem exoptatum in curandis morbis impetrare potuerimus, uana illa in medicamenta exotica confidentia, qua illis plus tribuere solent, quam re uera ipsis inest uirium, nostrae



arti magno fuerit detrimento pariter ac impedimento. Equidem is non sum, qui omnem remediorum exoticorum usum damnare, atque ex medicina exterminare uelim, cum Ipecacuanhae, Contra-yeruae, Pareirae brauae, Chinchinae uirtus in dysenteriis, febribus malignis et intermittentibus, Podagra et Arthritide, fugandis quotidiana experientia constet: illum tantummodo peruersum quorundam Medicorum morem moleste fero, quo tunc demum fiduciam et animos aegrotantium sibi conciliare optime posse existimant, quando sine rubore se sua remedia in maxime a nobis dissitis regionibus didicisse, eademque ex earum finibus ad nos apportasse gloriantur. Quasi uero, si etiam concedo, eruditum fuisse hunc uel illum Medicinae cultorem ab exteris nationibus, atque ab ipsis quoddam medicamentum accepisse, etiam nos eadem fruamur corporis constitutione, natura, temperatura, uictus ratione, aerisque indole, ac illae gentes, quibus talis adeo multis laudibus depraedicata medicina est endemia, naturalis, salutaris atque conueniens. Turcarum aliorumque Mahumedo addictorum populorum natura, aerisque et uitae conditio non est nostra, exeat igitur ipsosque adeat, qui remediis ex  
Tur-



Turcia aduectis et methodo Mahumedana aegrotantes curare sibi habet propositum. Nos tali medicina, usu apud nos non comprobata, atque de qua num uera atque genuina, an uero supposititia sit, et adulterata saepe merito dubitamus, opus non habemus, consueuit enim natura prouida monente GEORGIO WOLFFGANG WEDELIO *Amoenitatibus Materiae Medicae* incolis terrae uniuscuiusque de necessariis non solum prospicere alimentis, et ad uitam proficuis et facientibus aliis, uerum quoque de medicamentis. Hinc Locis Mari Baltico uicinis, in Dania, Frisia, Belgio, ubi scorbutus magis est endemius, copiosissime crescit cochlearia, optima contra malum hoc medicina, locis paludosis eidem malo obnoxiiis nasturtium aquaticum ubertim prouenit. At enim uero iste fortasse erit optimus ac felicissimus Medicus, qui Balsamum uerum atque genuinum possidet, eodemque in Medicina facienda utitur, et aegrotantibus uitam longaeuam per condituram quasi interiorem corporis beneficio huius Balsami promouere annititur, licet et hoc ad medicamenta peregrina referatur; ira quidem arbitrantur isti, qui hodie Balsamum de Mecca crepant, illudque se possidere



aliis persuadere cupiunt, multa de ipso miracula promittunt, atque hoc pacto incautis cum magno et ualetudinis et marsupii damno imponunt. Operae igitur pretium fore existimo in praesenti, dum specimen quoddam in arte medica exhibiturus sum, et in naturam, indolem ac conditionem huius Balsami de Mecca inquirere, et num nostris adhuc temporibus reuera existat, adeoque uerum atque genuinum ad nostras a mercatoribus regiones deferatur. Faxit Deus ter optimus Maximus, ut omnia feliciter eueniant.

## II.

**D**e Balsamo de Mecca dicturus, ante omnia uocem Balsami euoluere, atque explanare opus erit, quoniam constat inter omnes, eandem esse satis ambiguam et aliquando in sensu laxiori, aliquando uero strictiori accipi. Sunt quidam, qui cum BECMANNO *de originibus Latinae linguae* eandem ab Ebraeo Baal Schemeni i. e. Dominus olei deriuant, quia Dominus et quasi princeps esset omnis olei; Si PROSPERO ALPINO *Dialogo de Balsamo* credimus, Balsamum est illud medicamentosum corpus, quod



quod antiqui Arabiae Medici lingua uernacula Balesan siue Balsan appellauerunt, ex quo Graecorum *βάλσαμον* et Latinorum Balsamum est exortum, et exinde etiam in alias linguas translatum. In strictiori itaque et proprio sensu Balsami uocabulum designat liquorem balsamicum et aromaticum, nec non oleosum, resinosum pinguem, suaueolentem, qui ex certa quadam arborum specie earundemque frondibus, uel proprio nisu promanat, uel ex iis caesis beneficio cuiusdam instrumenti secantis elicitur. Tale est nostrum Balsamum de Mecca, Oprobalsamum, Balsamum de Tolu, Balsamum Peruuianum, et Balsamum de Copaiba. In sensu uero laxiori et improprio etiam alia medicamenta liquida, odorifera, suaueolentia Balsamica, aromatica, oleosa, resinosa, et pinguia, putredini resistentia et confortantia, Balsama uocantur. Ita in Pharmacopoliis prostant, Balsamum Apoplecticum, Neruium, Vitae uarii auctoris, Acouisticum, Locatelli, Sulphuris, Cinamomi, Lauendulae, Nucis Moschatae et plura alia, quorum recensio-  
ne, quoniam satis nota sunt, facile supersedere possum. Atque hoc pacto satis superque apparere existimo, quid sit Balsamum. Balsamum



num uero de Mecca uocatur, ab urbe felicis Arabiae notissima Mecca siue Mecha, loco natali Impostoris Mahumed, ideo, qui quantum equidem ex scriptis et antiquorum et recentiorum constat, hoc in loco tantummodo crescit, et hinc si dictis Autoribus recentioribus et Mercatoribus credimus, ad nos aduehitur.

### III.

**I**llud uero quod hactenus nominauimus Balsamum de Mecca, consentientibus fere omnibus, idem est, quod alii Opobalsamum, Balsamum Judaicum, Ægyptiacum et Arabicum appellare solent. Atque ut omnia rite diiudicare queamus, Balsami ueri descriptionem in praesenti in medium proferre, non prorsus erit incongruum et quidem ex relatione Alpini, Veslingii aliorumque, qui illud propriis oculis usurpauerunt. Balsamum ideoque est Arbor, saliens super terram, mensura unius brachii uel parum plus, cuius rami rubro uiridique colore perfusi, quasi rami Thitymali tenues sunt, et colorem uiridem habentes, faciuntque in capite gemmas, paruaque grana in modum piperis producentes. Ex fissuris ramorum huius arbo-



arboris egreditur quidam in diebus canicularibus liquor, sicut lac ex thity malo, qui ipsum est Opobalsamum, quod Mensibus Junii, Julii et Augusti partim sponte, et partim stipite ferro scarificato destillat, in uitreaque uascula recipitur, quod statim eductum colore est albo, qui paulo post in uiridem, deinde aureum, et demum in melleum mutatur. Eius succi etiam substantia in primis turbida, crassaque ut oleum statim ab oliuis expressum cernitur, postea tenuissima atque clarissima, tandem therebinthi modo crassescit, odore eximio atque acutissimo therebinthum in primis redolens, cum suaui odoris fragrantia obseruatur, saporeque amaro acri et adstringente. Leuissimum est in primis diebus, atque usque adeo ualidi et acuti odoris, ut aliquibus inter odorandum, sanguis e naribus eruperit; et prae multa sua leuitate in aquam stillatum non desidet, sed ex alto in eam proiectum, parumper in ipsa mergitur, ferreque continuo assurgens, supra totam aquae superficiem totum expanditur, eique miscetur, et citissime ita in eadem dissoluitur, ut ab aqua maxima cum difficultate separatim secernatur, vid. PROSPERI ALPINI *dialogus de Balsamo* et JOHANNIS VESLINGII *Vindiciae Opobalsami*.

B

Prae-



Praeterea hic notandum fructum arboris huius dici Carpobalsamum, lignum uero Xylobalsamum.

## IV.

Postquam igitur Balsami naturam constitutionem atque indolem delineauimus, oritur quaestio, quaenam in specie orbis terrarum regio, patria eiusdem sit, ubi eiusdem Arbor progerminet? Hanc uero Balsami patriam, ut rite indicare atque determinare queamus, Balsamum κατ' ἐξοχήν ita dictum et a ueteribus Opobalsamum, Balsamum Judaicum, Syriacum et Ægyptiacum, nec non Arabicum, a recentioribus uero et hodie Balsamum de Mecca appellatum, probe a Balsamo Americano siue de Tolu albo et nigro, uulgo Peruuiano, nec non Balsamo de Copaiba sedulo est distinguendum, uti enim Asia differt ab America, ita etiam Opobalsamum ueterum, et nostrum de Mecca differunt, a Balsamis Americae de Tolu et de Copaiba; neque hic de Americano Balsamo utpote toto coelo ab Asiatico distante sermo est, sed Opobalsamo nostro Asiatico, quod ab aliis Judaicum, ab aliis Syriacum uel Ægyptiacum, ab aliis uero et rem recte intelligentibus Arabicum et de Mecca uocatur.



tur. Existimo enim praeter Arabicum de Mecca Balsamum, nullum aliud in Asia Balsamum ueteribus fuisse cognitum; mihi que maxime uidetur uerosimile, Arabiam Felicem ueram ac genuinam Balsamicae plantae esse patriam, ipsamque deinde in Judaeam et Ægyptum fuisse translata[m] ibidemque propagatam, uti et hodie apud nos multae plantae Exoticae in hortis coluntur, et felicissime non solum excre-scunt, sed etiam multiplicantur. Hoc ut euin-cam, licebit mihi ex Historia Sacra repetere, quod Balsamum a mercatoribus illis Ismaelitis, qui Iosephum ab filiis Jacobi Patriarchae emebant, ipsisque filiis deinde annona ur-gente, in Ægyptum fuisse introductum, ex quo certe apparet, Balsamum Ægypti Plan-tam indigenam esse minime potuisse. Ne-que quoque erit Planta Judaica, si uerum est, Balsamum, Judaeorum Regi Salomoni, ab Ara-bum Regina fuisse dono datum, procul dubio ut rarum ac exoticum quoddam, et in Judaea non adeo obuium oblectamentum, in Arabia magis natale, adeoque a dicta Regina tanquam curiosum domesticum, ut Patriae felicitas eo magis compareret, Salomoni offerebatur. Ex hoc Balsamo, si JOSEPHO de *Antiquitatibus*



*Judaicis* fides est habenda, in *Judaea* aliae postea plantae *Balsamum* ferentes propagatae fuerunt. Accedit, quod omnes, qui de *Balsamo* aliquid memoriae prodiderunt, uno ore affirmare uideantur, *Balsamum Judaicum* olim duobus duntaxat *Viridariis* fuisse concessum, in quibus procul dubio illud a *Salomone* erat repositum, et diligenter colebatur, quod ab *Arabum Regina* dono acceperat. Testantur quoque hi omnes, *Balsami* plantam periisse, postquam *Judaea* a *Ptolomaeo*, Rege *Aegypti* et a *Vespasiano*, *Romanorum Imperatore*, deueasta est, nec non ab *Artaxerxe Persarum Rege*, ipsisque porro *Romanis*, *Adriano Caesare* rursus tota regio bello euerfa est. Excito huius rei testes *PLINIUM*, *THEOPHRASTUM*, *JUSTINUM*, *STRABONEM*, *SOLINUM*, aliosque. Ex quibus omnibus relinquitur, solam *Arabiam Balsami Plantam* produxisse, et reliquis regionibus commodasse. *Ibidem* et hodie iuxta *Mercatorum* et peregrinantium relationem reperitur, atque exinde per omnes fere totius mundi regiones deriuatur, atque sub nomine *Balsami de Mecca* etiam ad nos deportatur. Ad huius rei confirmationem et euidenciam maiorem, non possum mihi tempera-



perare, quin hic uerba optimi certe de Ballamo Scriptoris PROSPERI ALPINI adducam, ille enim in elegantissimo de Balsamo Dialogo, Patauii edito, de nostro Balsamo de Mecca ita pronunciat. *Dico, Balsami frutices neque etiam in Aegypto plane periisse, dici posse, quando saepe iussu Praefecti Cayri, plantae multae ex felici Arabia delatae in isto uiridario inserantur, et nunc uix tertius agitur annus cum Messinoris per id temporis praefecti iussu quadraginta e Meccha aduectae, hic insertae fuerunt, quae tamen cum per annum uixerint, rursus custodum negligentia periere, quae facile etiam denuo renouari possunt. In Arabiae uero multis locis innumerae propemodum magno cum illius gentis lucro aluntur, neque satis diu est, quod apud Arabes utilitas et lucrum hoc cognoscitur; etenim Opobalsami quantitas multa in Orientis loca comportatur, quibus in locis eum succum in multo pretio esse, multi ex Arabibus nunc Cairum habitantibus, narrant. Cuius succi lucro ab iis cognito, omnes certatim multos Balsami frutices ex arenosis, montuosisque locis, in morbida uiridaria transferre conantur. Quam ob rem ibi innumera pulcherrima Balsameta cernuntur. Lege tamen iis*



populis interdictum est, ne praeter Fiscum, quis eam Plantam serere queat, neque succum, uel flores, uel ramulos, uel frutices sine publico mandato quis capiat. Nouissima relatio de hoc Balsamo de Mecca, quantum equidem nobis constat, reperitur in *Ephemeridibus Vra-tislauensium Anno 1718*. Ibidem literas a Medico quodam Regis Sueciae conscriptas, et ex JOH. AD. GOERITZII *Relationibus de Balsamo in Gilead, siue uero Balsamo Arabico*, defumtas, communicant. In his ipsis literis legitur, auctorem earundem per tres integros menses Cairi commorasse, atque in hac urbe quid reuera de Opobalsamo sit statuendum se accepisse asseuerare non dubitat: Mercatores aliosque peregrinantes Opobalsamum ex Arabia felici huc afferre et diuulgare, Arborem ex qua in Arabia felici exstillaret, possidere altitudinem duarum ulnarum, ibidemque Solis Oculum appellari, foliaque habere semper uiridescencia, Ligustrum Ægyptiacum et Lentiscum figura imitantia. Ipsi in urbe hac uastissima ab incolis Ægyptiis et Arabibus firmissime fuisse persuasum, Arborem Balsami nullibi nisi in Arabia felici crescere. Prope Bedruniam uicum quindecim Itinera unius diei ab urbe Cairo distan-



stantem, conspici atque inueniri montem arenosum, in quo multae myriades arborum Balsamicarum progerminarent, ex quibus calore aestatis urgente, Arabes Balsamum colligerent, atque Meccam, Medinam et Cairum diuendum deportarent.

## V.

Quod si uero aliquis ex me discere cupit, num antiquum illud Arabicum Balsamum adhuc existat, et ad nostras regiones apportetur, ego quidem eius existentiam in dubium uocare nolo, de eo uero ualde dubito, num illud Balsamum, quod a mercatoribus Arabicum dicitur et uenditur, atque plerumque Balsamum de Mecca audit, sit genuinum. Non enim diffiteor, mihi firmiter esse persuasum, illos in grauisimo uersari errore, qui illud pro uero habent, atque aliis etiam pro uero ac genuino obtrudunt, instar circumforaneorum, qui fictitiis et supposititiis remediis incautos absque rubore decipiunt. Neque tamen ego primus sum, qui hac de re dubitat, uerum ex scriptis antiquorum constat, iam Plinii, Galenique tempore, prudentiores Medicos de existentia Opobalsami dubitasse, ac mul-



multis rationibus et experimentis comprobasse, illud si non prorsus ex Therebinthina, Melle et similibus fuerit confectum, tamen his corporibus fuisse adulteratum. Balsamum itaque de Mecca hodiernum, quod scilicet in nostris regionibus diulgatur, etiam esse artefactum, mihi persuadent multae eaeque grauisimae rationes. Omnes quippe recentiores, qui de simplicibus medicamentis exoticis et rarioribus aliquid posteritati reliquerunt, et partim ipsas Turcarum regiones adierunt, uno ore affirmant, Balsamum Arabicum seu de Mecca, ad uenales uulgaesque merces nequam pertinere, sed adeo rarum esse, ut in parca copia tantummodo Turcarum Imperator illud exinde accipiat, illudque aliis Principibus et Regibus, pretiosissimi cuiusdam doni loco, et gratiae insignis testimonio concedat. Prouoco ad *BUSBEGUI Legationem Turcicam*, *POMETI Historiam medicamentorum simplicium*, et *VALENTINI Musaeum Musaeorum*. Balsamum itaque, quod ad nos affertur, esse falsum et supposititium, probo ex *VESLINGII Observationibus de Plantis Aegyptiacis* Patauii editis, ubi expressis uerbis nobiscum facit. *Non tamen existimandum est,*  
in-



inquit, quod *Memphim ex Arabia lagenulis, uterisque plenis advehitur Balsamum, quamvis odoris suavitate gratum admodum sit, sincerioris concretionis lacrymam esse; minimum equidem eius ex plaga corticis destillat: maxima pars ligni, frondiumque decoctione conflatur. Neque ipsa tamen satis illibatae naturae, sed therebinthinae Cypriae adulterio plerumque uitiata est.* Superiori seculo Romae hac de re exoriebatur lis ac controuersia, num nempe Balsamum, quod ad Theriacae praeparationem recipiebant, sit natiuum, an uero factitium, ubi compertum est, illud uel ex Therebinthina, Oleo Caryophyllorum, Oleo Nucis Moschatae expresso, aliisque corporibus resinosis et balsamicis constare, quae quidem omnia, nec non praeparandi rationem prolixius recensere breuitatis studio mihi in praesenti non uacat. Possidet uero DN. Praefes scripta hac de re Romae typis expressa, nimirum STEPHANI de GASPARI, *Ciuis Romani, Liquoris artificialis pro Opobalsamo Orientali in conficienda Theriaca Romae adhibiti Physica oppugnatio*, nec non FRANCISCI PERLAE *Caluensis Medici Romani, Historica et Physica*  
 C dis-



*dissertatio de Orientali Opobalsamo, in Theriacae confectione adhibito, et inter Medicos Romanos controuerso.* Atque adeo ex his hactenus adductis luce meridiana clarius apparere existimo, Balsamum uerum equidem adhuc esse in rerum natura, sed admodum rarum.

## VI.

Quae cum ita sint, magna cautione aequae circumspeditione opus esse arbitror, ut uerum atque genuinum a falso, supposititio et adulterato rite discernamus, atque impostorum fraudes euitare queamus. Quapropter ante omnia ad Signa Balsami ueri sedulo est attendendum, deinde uero quomodo adulteretur cognoscendum. Signa itaque eiusdem, uti quidem ab scriptoribus fide dignissimis afferuntur, talia sunt. Notae eius primo ratione aetatis maxime uariant, primo enim tempore et iuxta quosdam primis quinque annis, postquam e stipite recentissime emanauit, albus eius est color, substantia tenuissima, sed per paucos tantummodo dies. Albus enim color, propter multas humorum cruditates a calore  
exa-



gitatus, mox turbidus fit, et postea paulatim in subuiridem, qualis in oleo communi conspicitur, mutatur, substantia ipsius densatur ac perspicuitas turbatur. Et haec eius ratio formaque per quinque annos durat, nihilo tamen fecius, licet albus iste color, statim post aliquot ab emanatione dies, in subuiridem, et sequentibus, rursus in alium colorem transeat, tamen uti optime obseruat MICHAEL DOERINGIUS *de Opobalsamo*, rursus albescit, quemcunque etiam colorem acquisuerit, si modo aestiuo tempore ab extremo aeris calore, hyeme uero ignis beneficio probe attenuetur, et deinde aquae uel lacti, quod aliqua ex parte coagulat, instilletur, quo facto Balsamum nostrum in primis initio, ab aqua illa, uel lacte coagulatur, ac telae albae instar supernatat, styloque quodam superne detractum, colorem album liquido manifestat. Deinde uerum Balsamum substantia tenuitate et leuitate primis diebus tanta gaudet, ut ex alto in aquam proiectum uix pauxillum saltem in ea mergatur, sed confestim assurgat, dissoluatur, aquae misceatur, et totam ipsius superficiem contegat, aegerrimeque inde ob coloris conuenientiam,

C 2

a la-



a lacte uel aqua ne stylo quidem separetur. Porro odoris tam fragrantis et ualidi est, ut non solum multis dolores capitis commouerit, uerum etiam quibusdam e naribus sanguinem elicuerit, saporis est subamari, acris, adstringentis et linguam modice mordentis, propter sal uolatile quo praeditum est. Post quinque circiter annos fecibus ad fundum depositis inclarescit, attenuatur, aureum colorem splendidissimum assumit, odoremque suauissimum, Thuri et Therebinthinae similem, sed multo iucundio rem ac gratio rem emittit, saporemque eundem retinet. Anno decimo denique peracto, sensim crassescit, therebinthinae in modum obscuriore melleo colore tingitur, minusque odorem et saporem gratum, sed amaricantiorem reddit, donec tandem ueteranum omni fere odore destituitur, et ille qui ipsi adhuc inest non nisi frictione sentitur ac percipitur.

## VII.

**H**is haecenus allatis, quae Opobalsamum genuinum esse ostendunt, merito quoque addere debemus notas adulterii in eodem commissi.



missi. Sunt uero uaria, quae ab impostoribus uero Balsamo admiscuntur. Nam quidam oleum perperam addunt, a quo tamen Balsamum lentum et uiscidum apparet, et aquae infusum, orbiculari forma diffunditur, et eodem modo plerumque superficiei aquae innatat. Oleo etiam corruptum Balsamum linteo instillatum maculam relinquit, quae difficulter eluitur. Si deinde unguenta quaedam eidem sunt permista, breui temporis spatio ab eodem secedunt, et fundum petunt; si cera additur Balsamum purificari non potest, atque Mel saporis dulcedine et Muscarum ad illud aduolatu se prodit; si resinas continet, substantia ipsius multo crassior est, et carbonibus uiuis instillata flammam emittit eminentiorem. Datur etiam Balsamum ex seminibus expressum, quod magis oleum est expressum, quam Opobalsamum uerum, et ex obscuriore odore et majori amaritudine facile dignoscitur.

## VIII.

**C**oronidis loco silentio neutiquam praetere  
 rere debemus, quales uires Balsamum no-  
 strum possideat. Quod enim Theriacam Ro-  
 mae

C 3

mae



mae ac Venetiis elaboratam ingrediatur supra  
 audiuius. Inter alios antiquiores AVERROES  
 felicissimus Medicus, Balsamum magnam Ve-  
 nenorum Theriacam appellauit, et contra O-  
 pium, adamantem, fungos uenenatos et alia  
 summopere commendat, *vid. de simplicibus*  
*capite 42.* ALPINUS saepius a me citatus refert,  
 quod contra sterilitatem laudetur, atque ob  
 hanc ipsam causam Ægyptiis feminis in fre-  
 quentissimo sit usu, tam interne in potu,  
 quam externe in suffimigiis. HERMANNUS  
*Cynosura Materiae Med.* Opobalsamum in  
 debilitate Stomachi et neruorum cum aliis sua-  
 det. Maxime tamen eminens eiusdem uirtus  
 uidetur esse diuretica, id quod multis ex cau-  
 sis palam est. Magnam enim cum therebin-  
 thina, Balsamo de Copaiba, aliisque diureti-  
 cis oleosis et resinosis liquoribus habet affinita-  
 tem, uti ex antea adducta eiusdem descriptio-  
 ne patet. Quapropter efficacissimum est in  
 Asthmate, Pleuritide, Nephritide, Podagra  
 et Stranguria, atque praeterea ob partes balsa-  
 micas ulcera interna sanat, et ui aromatici et  
 oleosi salis uolatilis cum iisdem in Balsamo so-  
 ciati, Confortans, Neruinum et Aphrodisia-  
 cum



cum est medicamentum. Caeterum a quibusdam uti optima, tutissima, nec non usu ac experientia contra Arthritidem laudatur Medicina, atque si uera sunt ista, quae apud alios autores posteritati relicta de Balsamo legimus, illud uices Panaceae et Medicinae uniuersalis poterit sustinere.


## IX.

**A**d ultimum cum errores eorum, qui Balsamum de Mecca inter merces uulgares referunt, illudque, quod a mercatoribus diuenditur, pro uero ac genuino habent, satis per se pateant, eorum ulteriori confutationi non immorabor, sed illud tantummodo adhuc moneo, uirtutes in fugandis curandisque morbis, quae Balsamo uero adscribuntur, in Balsamo de Mecca uulgari neuiquam reperiri. Tantum interest in medicina facienda, remediorum simplicium naturam, indolem, patriam corruptiones, adulterationes, reliquasque circumstantias hic necessarias probe callere, ne uel ipsi uana persuasione permoti, nubem pro Junone amplectamur, uel aliis quoque rem non  
etri



rite intelligentibus, nostrisque uerbis fidem  
habentibus commendatione falsi pro uero, et  
supposititii pro genuino, fucum faciamus,  
atque ipsis uel ex imperitia, uel in-  
stituto, malo aut decepto ani-  
mo imponamus.

F I N I S.





05H 525

ULB Halle

3


004 219 716











B.I.G.

Farbkarte #13

1909.2133

XXII

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICO PHYSICA  
QVA

# BALSAMVM DE MECCA

*PRAESIDE*

## D. MART. GOTTHELFF LOESCHERO

PHYS. PROF. PVBL. ORD. MED. EXTRAORD.  
EIVSDEMOVE FACVLTA. ASSESS. NEG. NON  
SEREN. DVC. SAXO - VINAR.  
PHYS. PROV.

P. P.

*AVCTOR*

## JOHANNES GODOFR. NICOLAI VIT. SAXO. MED. CVLT.

AD DIEM XXI SEPTEMBRIS. A. C. M DCC XXVI.  
IN AVDITORIO MAIORI.

---

VITEMBERGAE  
PRELO GAEBERDTIANO.

